LAUDATIO
IN FUNERE
MARCI ZAGURII
EPISCOPI VICETINI

HABITA

VICETIAE IN AEDE CATHEDRALI

XVI. CAL. OCTOB. AN. MDCCCX.

A

CAROLO BOLOGNA

IN SEMINARIO VICETINO

STUDIORUM PRAEFECTO.

VICETIAE

EX TYPOGRAPHIA

BARTHOLOMAEI PARONI.

LAUDATIO.

Calamitas haec tanta, quae nos paulo ante nihil tale metuentes, aut cogitantes tam subito afflixit casu omnium acerbissimo, cogit me in communi totius Civitatis moerore oppressum, ac prope exanimatum conspectum vestrum, et tristissimam hanc lucem sustinere. Egone, cui absenti, ac plane inscio periculi, quod nobis gravissimum, et certissimum impendebat, serius omnino, quam oporteret, fama perlata est, ego, inquam, consternatus dolore, et repentino quasi tumultu excitatus, silentibus Vobis, et inspectantibus, prodeam extinctum morte, et jacentem hoc in Templo MARCUM ZAGURIUM Episcopum Vicetinum laudaturus? Egone virtutes Ejus persequar, atque ornem, de quibus vix satis digne a disertissimis dici posset, quarum vos splendor perculit, et commovit, antequam Ille ad hanc Ecclesiam accessisset, quas Ipsi praesentes per annos amplius quatuor, et viginti magna cum admiratione, et pietate suspexistis, quae percrebrescunt fama, et sermonibus hominum in exteris

quoque terris illustres, et pervulgatae? Nihil dicetur a me, quod non sit vestris in oculis positum, et fixum in animis: elabentur multa etiam e mente perturbata, cui non satis datum est spatii ad cogitandum, multa praetermittentur consulto in tanta rerum varietate, et copia, non pauca, quod valde timeo, minuentur dicendo, et obscurabuntur. Vos, Vos magnum Antistitem, atque optimum laudastis satis, cum paucis ante diebus simul atque eum diro, letalique morbo correptum audistis, suspensi metu, et trepidantes, indictis publice supplicationibus, incredibili omnium ordinum moestitia, et Urbis squalore Templa precibus, et votis complevistis. Vos Illum hodie quoque laudatis magnopere, qui tam graviter de ejus interitu doletis inusitata, et memorabili frequentia exequias Ejus funeris prosecuti: vos isto vultu, habituque, istis sordibus, et questibus, ista tanta desiderii, et angoris significatione adeo Illum laudatis, ut quot haec Urbs habet Cives, tot Ille habere laudatores videatur. Quae quidem omnia, et ipsa praeterea Militaris haec pompa, et haec Magistratuum omnium species magnificentissima, et honorificentissima sepulturae Ejus, ut plane declarant quantus Is fuerit, quamque vobis carus verissimo testimonio judicii vestri, ita me vehementer perturbant,

atque terrent, cum intelligam non indignum a me aliquid rei magnitudine, et opinione vestra postulari. Quo me conferam? Quo me vertam? Ut postremo hoc pietatis officio, qua ratione possum, perfungar in Eum, quem semper colendum duxi, dicam quae a me hoc tempore vis veritatis exprimit, et effundit dolor meus, et laudabo mortuum, quem vivum, quod Ille abhorrebat a laudibus suis, quamvis omni laude dignum nunquam laudare sum ausus; atque ita perficiam illud Platonis, decere eos, qui res egregias, atque arduas gesserint, ubi excesserint e vita, laudibus honestare. Ades igitur, AMPLISSIME EQUES (*a*), qui hanc Urbem, et Provinciam singulari justitia, et sapientia moderaris Vir ipse ab omnibus laudatissimus: Vos adeste, ILLUSTRISSIMI, ac REVERENDISSIMI PATRES, atque, dum lacrimas potius, quam justa Ei persolvo, quem Ipsi tanti fecistis, quique Vos tanti fecit proximos dignitatis splendore, me volentes, et propitii sustinete. Si enim in Vobis, et in PRAESIDE, atque ADMINISTRATORE hujus MUNICIPII (*b*), ornatissimo Equite, Patriaeque amantissimo, et in his Civitatis, ac Militiae Luminibus praesidium invenero, spes erit posse me in hac tanta perturbatione, et metu, quem discriminis magnitudo incutit, respirare.

MARCUM ZAGURIUM cum laudandum suscipio, neque de Majoribus ejus dicam, neque de generis nobilitate, et nominis, neque de ornamentis Familiae, quibus ipse non indiget, cum satis excellat suis, neque de praeclaris in eum judiciis, et hominum existimatione, cum Bononiae esset, et Patavii, et Romae, hoc est in gravissimis, et litteratissimis Civitatibus, neque de gloria, quam est consecutus in Cenetensi Ecclesia administranda; a qua cum Ipsum summo omnium dolore distractum vidissent Cives illi, et publicis id testimoniis significassent, nulla alia ratione Ejus desiderium sibi lenire unquam posse judicarunt, nisi Fratris Illius PETRI ZAGURII Veneti Senatoris magno praediti ingenio, et de bonis Artibus optime meriti patrocinio, ac tutelae se traderent. Haec, atque alia relinquam, quae accurata, eloquentique oratione clarissimus Vir (c), et doctissimus, qui praecipuis honoribus, et muneribus insignitur in hac Ecclesia, complexus est ea die, heu ab hac quam dissimili! qua gaudio exultantibus Civibus expectatissimi Praesulis adventum est gratulatus. Ego Vobis potius, his omnibus silentio praeteritis, MARCUM ZAGURIUM Episcopum Vicetinum, et Vestrum proponam, quem contemplemini. Qualem autem, et quantum? HOMINEM DEI nimirum, et inter Vos, ut egregii Pastoris imaginem non

adumbratam, sed expressam, ac prope eminentem vobis exhiberet, divinitus constitutum. Atque hunc primum, ut esse talem intelligatis, qualem dixi, cum ingenio, et industria, tum doctrina praestantem cognoscite, eaque doctrina, sine qua in magno Sacerdote magistro, ac duce populorum neque pietas, neque sanctimonia, neque prodigiorum virtus, ut adfirmabat Chrysostomus, satis essent profuturae. Hunc igitur Sacrarum Scripturarum, quibus mirifice delectabatur, hunc Sanctorum Patrum, Conciliorum, Legum, et decretorum Ecclesiae, hunc Religionis Dogmatum, ac Morum studio, et notitia eruditum admiramini, et auctum insuper multiplici, exquisitaque humanarum, et divinarum rerum scientia, quae et litteratum hominem decet in clarissima luce versantem, et Episcopum institutum ex veteri disciplina, ac sapientia. Quae Ille sane condiebat quodammodo, et ornabat politiore omni humanitate, et antiquorum Scriptorum praecipue Latinorum elegantia Basilium, Hieronymum, Augustinum imitatus hac etiam in re, qui magnopere haec studia Christianis, et Ecclesiasticis viris, si recte tractentur, tum documentis virtutis, et prudentiae plenis, tum exemplo suo longe splendidissimo commendarunt. Quid autem MARCUS? His praesidiis, et quasi copiis instru-

ctus non cessare, non delitescere, sed fortis tanquam bellator prosilire in campum, atque pulverem, sed dimicare cum hostibus, sed suis eos ipsorum armis vincere. Viderat enim jam ante scelestissimos homines, et perniciosissimos, qui constantiam quamdam animi, et fortitudinem ostentantes gloriantur de impietate sua, et aliorum pietatem tanquam superstitiosam sollicitudinem, imbecillitatemque traducunt, et contemnunt, perversa scribere, ac disputare de materia, et mundo, de animorum natura, et libertate, de divina Providentia, de mysteriis, quae verenda quadam nube obducta credenda sunt potius, quam investiganda, de superis, de inferis; excitatisque ad licentiam cupiditatibus, et virtutibus de statu dejectis, ita omnia conjunctis quasi viribus moliri, et struere, ut Religionem Orbe Terrarum, si fieri posset, Deum Coelo Gigantum more, ut est in fabulis, deturbarent. Quare Ille, ad ista refellenda novo scribendi genere aggressus, protrahere in lumen manifestum et plenissimum consilia impiorum, quae neque convenire inter se possent, neque sibi constare incondita, incerta, fluctuantia; et dolos, et inanes conatus, et ipsam morte jam impendente perturbationem, trepidationemque, quo facilius ab aliis irriderentur, ita jucunde, sapienterque irri-

ri-

ridere, ut opus ab omnibus expetitum in exteras quoque linguas converteretur, ac tandem Neapoli, cum ederetur quintum, PIO VI. Pontifici Optimo Maximo, ornatum tanto nomine, mitteretur. Antequam hic esset, duobus haec voluminibus comprehenderat ZAGURIUS, effecitque hic, duo ut alia volumina sequerentur ex eadem indole, et doctrina. Quo vero magis occurreret, et obsisteret tantis malis, et oves praecipue suas a contagione, et pernicie removeret, ac defenderet, dum emisit libros, vocem non repressit doctissimus idem Scriptor, et Orator eloquentissimus. Fuit enim in Illo Eloquentia, quam saepe frustra desideretis hoc tempore in Sacris Oratoribus, non poetarum sermoni propria, et pueriliter luxurians, non difficilis, et spinosa importunae quadam ostentatione philosophiae, sed pura, sed gravis, sed ornata verbis, atque sententiis, plena animi, plena spiritus, plena doloris, atque amoris ad permovendum, et persuadendum idonea, atque ita ad captum populi, cui scilicet Eloquentia nata est, accommodata, ut illud semper propositum haberet, quod inculcatur a Marco Tullio, *in dicendo vitium vel maximum esse a vulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere*. Vos appello, qui Illum audistis hoc in Templo, cum diceret ma-

gna hominum frequentia undique convenientium, atque admirantium. Ut Vos incendit amore ad virtutem, cum nullam esse ostendit inter flagitia pacem, quae unice sita est in benefactorum conscientia! Ut vitiorum Vos odio inflammavit, cum memoratis calamitatibus, quae incidissent, questus est stupore occupatos homines non expergisci! Ut Vos multis, et variis animorum motibus concitatos altius humanis evexit ardore pietatis, cum hanc Ecclesiam primum ingressus verba fecit de praesente, et vidente Deo! Quasi evolutis in conspectu Sacrarum Litterarum libris, et ore prope locuturus Vatum divinorum, cum hic constitisset tanquam Paulus in medio Areopago, magnifica oratione Deum vobis proposuit, qui non longe abesset ab unoquoque nostrum, Mundi artificem, et servatorem, astris, plantis, animalibus, natura tota prodentem se, et patefacientem, consulentem rebus omnibus undique, et ubique procuratione sapientiae nihil non moderantis admirabili ordine, moventem quaecumque sunt usquam nutu, et eadem complentem majestate sua, Dominum Coeli et Terrae, quem nemo fugiat pertinentem sine finibus in immensum, quem nemo lateat illustrantem inclusa, et abdita tenebris nunquam deficienti lumine, investigantem, animadvertentem, recessus perscru-

tantem animorum, parentem, judicem, vindicem. Quem ubi Vobis tanquam ante oculos constituit hortatus, ut caveretis, ne tanto teste laberemini, se dixit ab Eodem, qui perpetuo adesset, terreri, et simul confirmari aggredientem ardua; descripsit tamquam in tabula, quae Ipse pollicebatur de se, quaeque postea egit, et perfecit cumulatissime; quae Vos praestare deberetis monstravit rationes tradens, et praecepta virtutis; Superùm imploravit fidem labores, discrimina, omnium onera subiturus, et tendens ad coelum manus, et devovens se pro Vobis precatus, ut servatis Ovibus Pastor percuteretur, sollicitudinem erga Vos incredibilem, flagrantissimum studium Religionis, divini Amoris, quo totus ardebat, aestum, atque impetum voce, gestu, lacrimis significavit. MARCI itaque ZAGURII Orationes (ut doctissimas Epistolas, et latinas, ut ipse appellavit, Allocutiones, et scripta alia omittam, quorum ingens copia adhuc in scrimniis latet) cum pervenissent in manus hominum, et in remotas etiam regiones penetrassent, magno omnium plausu exceptae sunt; Romae vero in tanta Artium, et Studiorum luce multae praelo commissae, atque ita omnes probatae, ut usurpari soleret, duos in primis esse eloquentissimos Episcopos, Parmae alterum,

alterum Vicetiae. Hinc illae litteratorum hominum amicitiae, hinc nomen adscriptum in celeberrimas Academias, hinc studia, et admiratio Cardinalium amplissimorum, ac tandem illud, quo nihil gravius, et gloriosius, PII VII. Pontificis Maximi, MARCUM ZAGURIUM *Episcopum Vicetinum quendam veluti Patrem Ecclesiae his temporibus datum*. Probe enim noverat Pontifex eundem cum eloquentia, et doctrina, tum, quod non minus requiritur ad hanc laudem, virtutibus excellentem plurimis, et maximis; quae non fucatae, aut quaesitae ad ostentationem, sed verae, solidae, spectatae summam ipsae auctoritatem, et fidem attulerunt dicenti, atque eum Oratorem perfecerunt, quem in Curia, et in Foro quaerebat M. Cato, nos vero multo magis in Templis debemus quaerere, *virum bonum, dicendi peritum*. Tantum igitur, ac talem quasi comitatum virtutum diligentissime sibi adjunxerat MARCUS, quod ei penitus insidebat in animo, nihil alios magis ad pietatem, et religionem informare, quam eorum vitam, atque exempla, qui se divinis ministeriis dicassent, in quos, simul atque loco positi sunt excelso, et illustri, omnium oculi, tamquam in speculum, conjiciuntur. Quamobrem vere, et recte proditum est, Episcopum sapientiae omnis, et virtutis simula-

crum esse oportere. Quae autem vita in Illo! quae integritas morum! quae sanctitas! in qua maculam nunquam ullam vel nequissimi, et impudentissimi deprehendere, aut fingere potuerunt. Nihil in verbis nisi pudicum, etiam cum impudica, et foeda reprehenderet, nihil nisi continens, et grave in oculis, nihil in omnibus quaecunque ageret, ubicunque versaretur, nisi quod animi verecundiam, et innocentiam proderet. Neque Ipse tantum talis esse; sed eos etiam, quos secum habebat domi, ad eandem normam dirigere, ut quemadmodum Ille omnibus, ita sui caeteris exemplo essent, et documento. Quare ille candor Virorum, quos sibi socios adscripserat, et quasi amicos domesticae vitae, atque mores illi caeterorum omnium, quibus utebatur familiariter, et quorum praesentia, et sermonibus recreabatur sive hic, sive Patavii, cum se illuc aliquando contulisset nunquam otiosus futurus in illo otio, ubi et litteratissimi ad eum homines, et probatissimi conveniebant. Age, qua modestia, quam singulari, quam plane sua hanc vitae integritatem ornavit, qui alienus non solum a praeconiis laudum suarum, ut jam dixi, sed etiam ab honoribus ultro delatis hanc ipsam Vicetinam Ecclesiam, non secus atque illam primum Cenetensem, invitus, et ut Aposto-

licae Sedi pareret gubernandam suscepit, qui obfirmati propositi perseverantia restitit FRANCISCO Austriaco Imperatori, cum ab eo Venetiarum Patriarcha esset renunciatus, qui supra quam credibile cuiquam est moleste tulit non sine magna causa huc manasse eam famam, ampliora sibi a Romano Pontifice fuisse parata! Qua Idem prudentia ferventem pietatem moderatus est omnia summo consilio decernens, atque procurans in dubiis temporibus, et momentis rerum maximarum! Qua justitia temperavit, et munivit bonitatem suum cuique in magna legum custodia tribuens, nunquam flecti passus, aut tentari gratia! Qua gravitatem, et constantiam cumulavit fortitudine invictissimi animi in defendenda veritate! Quo contemptu rerum humanarum! Qua in aerumnis, et malis sustinendis mentis aequitate, patientia, religione! Meministis quo amore, quam certo, quam pio PETRUM unicum Fratris filium complecteretur. Ut ea erant tempora, nemo satis, quae postea evenerunt, poterat praevidere: vix quaedam aliquis conjectura, et suspicione attingere. Qui vero lectissimi Adolescentis indolem egregiam noscerent, integros, et suavissimos mores, studia bonarum artium, atque disciplinarum, dicendi etiam vim, et copiam, felicia omnia de illo omi-

nabantur, futurum aliquando, qui Patriae lumina ostenderet animi, ingenii, consilii sui. Haec cum Parenti carissimo, et studiosissimae Matri (*d*), et amantissimo Patruo certissima spes esset proposita, et quasi praecepta laetitia, Is jam accessurus ad Rempublicam sumpta virili toga, in ipso aetatis flore, subita tanquam vi fulminis perculsus, atque prostratus, morte praereptus est; et Patruum ipsum de periculo sollicitum tam cari capitis, et properantem Venetias ferales nuncii medio in itinere luctu miserabili funestarunt. O calamitatem praeclarae domus! O vulnus crudelissimum optimi Antistitis! cui nec optatos vultus videre contigit, nec audire coram verba morientis, nec deficienti solatia extremo illo in tempore praebere! Quid Ille tamen? Cum se Vicetiam, et in Aedes suas recepisset dissipatas, quas conceperat, spes omnes, domesticos fletus, et squalorem collabentis Familiae, ac prope extinctum Nomen forti, et magno animo pertulit, imo gratias egit prementi, et affligenti Numini se consolatus ea cogitatione, ut dicere, et praedicare solebat, ereptum innocentissimum Juvenem, ne corruptela malorum temporum contaminaretur. Haec Ille cogitans, haec intuens tranquille, et sedate loquebatur de illo; atque ea etiam de causa, ut per alienas

preces expeditior ei esset in Coelum via, quod hoc ipso in Templo, ut per Vos quoque fieret, cum de more e suggestu dixisset, non sine vestris lacrimis flagitavit. Quid est? quid admiramini? Magna haec sunt, et quae proxime accedant ad plenam perfectamque sapientiam, sed illa majora, quae magis in actione consistunt, ac rebus bene, et utiliter gestis in aliorum praecipue commoda latius sese effundunt, et pertinent. Igitur non tam solemne MARCO ZAGURIO Gregem formare verbis, et exemplo suo, quam instituere opera, et labore. Intelligebat enim huc praesertim illud spectare, boni esse Pastoris non modo docere, quod in eo vehementer requiritur, verum etiam, quod non minus est necessarium, et primum praecipitur, facere. Videtis? Quem videtis? Pastorem strenuum, et industrium natura, qui nihil tam oderit quam otium, et inertiam, exercitatum rerum multarum usu, et assiduitate, caritate inflammatum. Quid enim? surgere Ille cum sole primo, pro se Deum orare, et pro populo, sacra facere, et adesse sacris, mature adeuntes admittere, audire, interrogare, sancire, componere dissidia, errantes in viam revocare, ferre opem supplicibus, omnibus consulere, providere, prodesse. Neque requies, neque mora. Tentaminibus praeesse Cleri-

ricorum, et Confessariorum, invisere Virginum coetus, Hospitia adire puerorum, et puellarum, Xenodochia, Nosocomia, custodias, confirmare chrismate singulis diebus non solum eos, qui ad aedes suas adventarent, sed eos quoque, qui aegrotarent in domibus quibuscunque, et tuguriis, audire conciones sacras, interesse christianae catechesi cum in urbe, tum extra urbem alienissimis etiam horis, et docere Ipse pueros nonnunquam magistri functus officio, Dioecesim obire vel cum ruerent imbres per ardua, et diruta montium, promovere ubique optimam morum disciplinam, Templorum cultum, Virorum Beatorum honorem, ut rite in Caelitum numero reponerentur, nihil reliquum facere, quod utilitas Ecclesiae, et Religionis sanctitas, ac majestas commendarent. Jam quale illud, et quam tenerum spectaculum, cum certis per annum diebus solemni supplicatione, et apparatu affectis morbo hominibus Eucharistia deferretur, praesto esse insignem pietate Antistitem, subsequi omnium primum per vias divinissima pignora, et ante fores cubiculorum, quaecumque adirentur, dum mysteria tanta perficerentur intus, procumbere in genua, et inter admirantem, commotumque populum humi jacere! Cum vero tot, atque tantis occupationibus, et laboribus distineretur, mirum videri debeat

nunquam intermisisse studia doctrinae, plurima semper legisse, et meditatum esse, atque adeo tam multa, de quibus diximus, et de quibus adhuc esset dicendum, accurate scripsisse. Sed praecipua in Eo erat, et semper ardens de Cleri institutione, et disciplina, et virtute sollicitudo. Non enim Eum fugiebat hinc populi pendere mores, hinc nominis Ecclesiastici decus, hinc robur, et firmamentum christianae Reipublicae. Quocirca curare sedulo, ut optimis studiis imbuerentur ii, quorum labia jubentur scientiam custodire; tum multo magis cavere, ut probi essent, atque integri. Inutiles enim futuri, si sint indocti, si vero mali, ubi doctrina accesserit ad nequitiam, velut ensis furiosis traditus, perniciosi. Ergo perpetuo eos hortabatur, qui huic quasi militiae nomen dedissent, ut desidiam in primis fugerent parentem, atque altricem vitiorum, ut utilem, assiduamque operam navarent Ecclesiae ab lucro remoti, et caducis rebus, ut nihil exhiberent in se habitu, gèstu, incessu nisi grave, moderatum, religione plenum; ac siqui forte ab officio descivissent, restituebat humaniter monendo saepe, et peramanter, nihil veritus interdum eos etiam contristare, dummodo contristarentur ad salutem, et resciscerent. Jam vero cum Pastores caeteri, qui regendis cer-

tis gregibus praeficerentur, vocati sint in partem magnam difficillimi operis, iidemque positi in aedificationem, aut in ruinam, neminem ulli Ecclesiae designabat, nisi omnia accuratissima esset investigatione perscrutatus, ut non solum probatos, et perspectos, sed etiam, quantum in Ipso erat, idoneos mitteret, quemlibet constanter, et libere repudiaturus, si irrepere conaretur. Missos facio caeteros, quos pro ratione, et varietate officiorum adsciscebat sibi ad Ecclesiae procurationem eadem fide, et diligentia. Satis fuerit recordari hoc loco, ut de omnibus liceat conjicere, quos, et quales Viros in hoc Canonicorum Collegium cooptaverit, in hunc videlicet Vicetinae Ecclesiae Senatum, quem ut auctoritate, et amplitudine, ita virtutibus eminentem tantopere admiramur. Verum huic rei tantae, in qua omnia summa sita sunt, judicabat mature jacienda esse fundamenta. Itaque, quod a sanctis Patribus cautum, et a Concilio in primis Tridentino imperatum est, recipi in Seminarium jubere, qui propius Ecclesiae vellent addici, et in eo a prima, quoad fieri posset, pueritia fingi, atque componi. Quod optimorum Studiorum, atque virtutum domicilium cum florens accepisset superiorum Episcoporum industria, perfecit, ut floreret in dies magis, et

augeretur mira quadam voluntate, et benevolentia prosecutus novellas plantas secus decursus aquarum fructum daturas in tempore suo, in quibus profitebatur se suas spes, et amores, et gaudia collocasse. Quare crevit ibi nunquam antea auditus alumnorum numerus, decora quaedam, et frugifera addita studiis nostris, plurima ad colendam, alendamque pietatem invecta, commodior mensa adolescentibus data, aedes ipsae ornatae pluribus in locis elegantius ad speciem, et utilius conformatae ad salubritatem, aes alienum dissolutum: Huc saepius Ipse adventare, huc ducere hospites suos, laetari de illorum approbatione, et laudibus, inquirere in singulorum aetates, mores, ingenia, studia, ne cui manus cito imponeret; perscrutari, cognoscere, tenere omnia, majora exorsus, quae certe erat perfecturus, nisi mors consiliis hoc ipso in temporis articulo obstitisset. Ut demum hoc etiam sui extaret monumentum amoris, moriens idem Seminarium Bibliothecae, quam sibi libris utilissimis instruxerat, praeclaro munere locupletavit. Hic ego quid plura persequar? comprehendam brevi. Vigilantissimus Pastor, et amantissimus spatio annorum fere quinque, et viginti nullam sibi diem, quin multa salutariter, et praeclare ageret, sivit praeterire. Quanquam

cum dico de Illo, qui studio tenebatur Ovium suarum tanto, pro quibus certe animam suam tandem dedit assiduis, et gravissimis curis confectus, quid plura non persequar? Taceam ego de MARCI ZAGURII liberalitate, in qua ipsa mirificus hic Ejus amor omnis ex omnibus partibus se ostendit, et de qua nemo non praedicat? Ac liberalitas quidem per se, cum tantum prosit hominum generi, et plurimi facienda semper est, et summis laudibus cumulanda. Attamen si homines, qui liberales sunt, considerentur, non eadem, aut par omnibus tribuenda laus: cum alii quo loco nati sunt, et qua comparati natura paucis contenti largiantur de suo, alii ea donent, quibus ex vitae instituto, et personae, quam suscepissent, jamdiu carere didicerunt. Quis vero, et unde MARCUS ZAGURIUS? Illum suspeximus ex domo Senatoria, et ad omnem elegantiam atque splendorem composita, ortum Venetiis, clarissima nimirum in Urbe, et nobilissima, efferentem se se natura ad grandia, studiosissimum hospitalitatis, et amicorum, quibus ejus aedes semper fuerunt apertissimae, et remotissimum a sordida parsimonia, qui censeret magnificentiam ad tuendam quoque existimationem, et auctoritatem valere. Sed Eundem nihilominus expleta, et absoluta virtute liberalissi-

mum, ne quid in se clauderet benignitatis suae, vidimus denique ita omnia circumcidisse sibi, ita subduxisse, et amovisse invicto animo, atque excelso, ut non solum utilia ad dignitatem sibi denegaret, sed ea etiam aliquando, quorum vitae usus maxime indigebat. Exigua illa sunt, et minima, si cum caeteris conferantur, confluere solitam quotidie ad ejus aedes, ut stipem acciperet divisam in capita, egentium nunc virorum, nunc mulierum, atque puerorum multitudinem. Exigua illa, et minima, pecuniam a Praesule, cum exiisset domo, per vias accurrentibus, et ante Templa dari consuevisse. Quid illa? impendi argentum, ut consuleretur puellarum pudicitiae, ut nuptiae conciliarentur mulierum, quas ante actae vitae poenituisset, datis aliquando ferme integris dotibus, ut derelicti pueri, ignarique parentum reciperentur, et alerentur, ut egestati viduarum, aegrorum languoribus, miseriis calamitosorum, quibus etiam alienigenis portus Ipse fuit, et perfugium, allevamenta ferrentur, et adjumenta. Neque id temere fiebat, atque inconsulte ad fovendam ignaviam potius, quam ad acerbitatem leniendam fortunae, sed constituti, qui investigarent, et cognoscerent, qui adirent domos, et in menses, et in hebdomadas, et in dies deferrent certam,

et designatam pecuniam, ut mirabile sit, et vix credibile, sed tamen certum, et testatum, quam multae domus a munificentia larga, effusa, inexhausta alimenta peterent, et praesidia quotidiana. Quid, cum ingruentibus immoderata tempestate imbribus, et aquis assurgentibus in perniciem, et vastitatem humiliores urbis partes mergerentur, et mendica plebs aestuante late flumine obsideretur, qua cura omnium primus mittebat in cymbis panem, et caetera auxilia pressis fame, et horrentibus algore, et squalore? Quid cum in caritate summa annonae praeter consuetudinem omni ope, atque ratione miseris subveniebat non in urbe solum, sed etiam in partibus dissitis provinciae? Nihil satis beneficentiae, nihil sollicitudini benefaciendi. Hospitiis pauperum, et Valetudinariis suppetiae latae: tributum frumentum, et cibi Coenobiis Virorum, atque mulierum. In quo illud singulare, Sacrarum Virginum, quibus in diem viventibus spes erat omnis in Illo, qui dat escam esurientibus, plures annos grandem Familiam, et omnium egenam pene dixerim solum substentasse. Quid quaeritis? A quibus injurias indignissimas accepisset, in illos, cum deinde in ultimas angustias devenissent rei familiaris aerumnosi, abjectique, fuit praeter modum munificentissimus. Quid si illa

paterent plurima certe, et maxima, quae in eos contulit, quos urgebat inopia, et pudor domi detinebat, quaeque Ipse, ne qui futuri unquam essent testes praeter Deum, nocte, et oblivione obruit sempiterna? Jam, ne quid detraheretur tantis sumptibus, temperavit ab honestis etiam solatiis, abstinuit ab emendis libris, quamvis parvo parabiles essent, argenteam supellectilem magna ex parte vendidit, et de vendendis equis, quos duos habebat, cogitavit, atque adeo de minuenda familia, a quo tamen sua ipsa est beneficentia prohibitus, ne ut alienis (quamquam quis Illi alienus?) prodesset, suos a se removere videretur. Quod de certis auctoribus audivi non possum sine lacrimis memorare. Cum difficillimo quodam tempore ingens ei pecunia imperata esset, ut ne ea soluta remittere cogeretur de largitate sua in egenos, compertum est, quae essent in aedibus sumi, et venundari jussisse. *Vendite*, inquit, *haec, atque alia, ne desit indigentibus, quod reliquum est mihi: cum caetera deerunt, pastoralem Baculum, et hanc ipsam, quae nostrum munit pectus, Crucem vendemus*. Illud tandem est cognitum, et perspectum omnibus, sub haec praesertim tempora necessariis Illum prope vestibus caruisse. Nihil addi videretur posse ad liberalitatem tantam, et magnitudinem animi, nisi Ipse, quod adderet excogi-

tasset, et invenisset monumento cum novo, et inusitato, tum insigni, et immortali, de quo, dum stabit in hac Urbe virtuti honor, nulla unquam posteritas conticescet. Cum omnibus, quos aut natura (e), aut necessitudo, aut officia sibimet conjunctiores reddiderant, cum primariis Templis, quibus alias ornamenta dederat, cum Nosocomiis, et Xenodochiis omnibus pignora legasset benevolentiae suae, et pietatis, qualis fuit quandiu vixit, talis futurus cum obiret, Testamento religionis, et sapientiae pleno haeredem instituit ampli patrimonii, et bonorum omnium hanc Urbem, quam plurimum semper dilexit, ut per diligentissimos Cives iis, quos puderet conqueri de paupertate, et aliena subsidia poscere, prodesset, quemadmodum ante profuit, rata, perpetuaque munificentia sua, atque eosdem ne mortuus quidem desereret, ut nullo unquam tempore desineret bene facere. O liberalitatem Antistitis admirabilem! o vigilantiam! o pietatem! o doctrinam! o virtutes eximias, atque omnium praedicatione celebrandas! Quibus profecto virtutibus postrema vita auctis quodammodo, et corroboratis visum est novum quasi lumen accessisse. Nihil unquam queri de morbo, quo premebatur, nihil de periculo suo, amorem vitae omnem compescere mortis securus, nonnun-

quam etiam, ne ultra remedia adhiberentur, quaerere, quae non essent profutura, petere Ipse suprema Religionis praesidia, atque ea divino amore incensus, qui e vultu, atque ex oculis emicabat, accipere de terrenis his, atque de aeternis ita saepe locutus, ut omnes, qui audirent, vehementer commoverentur. Deinde Familiam universam jussit adesse, et imperturbato animo, et sereno ore, atque laeto circum affusis, et lugentibus, quidam tanquam Patriarcha, sublata moriente dextera fausta precatus est, et vota patefecit jam abeuntis animi: *vellem*, inquit, *perducere vos posse omnes in Coelum, atque ibi posse profiteri, qui mihi essent dati, me quemquam ex eis non perdidisse*. Atque Ille quidem, de quo non possumus nisi bene sperare, magna laturus praemia meritorum suo decessit tempore, alieno nostro, quos clades tanta percussit, et oppressit. Tune igitur nobis ereptus es, Parens dulcissime, atque optime? Tune aberis perpetuo a tuis? Tune talem hodie nobis hoc in Templo, nunquam posthac aspiciendus, Te objicis? Mutum silet os aureum illud, a quo, cum vox, atque oratio optatissima effiueret, nos tam jucunde, et cupide pendebamus. Illi clauduntur oculi, qui persistebant tamquam in specula pervigiles ad custodiam, et incolumitatem nostram. Dextera, illa dextera

friget operum ministra tantorum etiam ultra mortem beneficentissima. Illi pedes torpent, qui ambulaverunt semper ipsi, et alios duxerunt per semitas aequitatis, quorum nos hoc ipso in loco, ubi postremum institerunt, dolentes, flentesque vestigia contuemur. Quantum una die, imo nocte una funestissima, et teterrima Litterae, Ecclesia, Vicetini amiserunt! Quaecumque tamen haec sint, relevemur aliquantum, si fieri potest, virtutum, et benefactorum Ejus memoria, quem non dubitamus, etiam cum migraverit ex hac vita, vivere adhuc sollicitum de iis, quibus tam triste sui desiderium reliquit. Tum nos recreet, et sustentet ea spes brevi datum iri Pontificem alium hujus Ecclesiae solitudini, quem praestantissimum esse, atque optimum judicabimus, si eum esse Huic quam simillimum intelligemus.

(a) *PIUS MAGENTA Novariensis, Praefectus.*

(b) *FRANCISCUS ANGUISSOLA.*

(c) *JOANNES BAPTISTA CLEMENTIUS tunc Canonicus, nunc Canonicus Archipraesbyter Ecclesiae Cathedralis Vicetinae.*

(d) *LUDOVICAE GRIMANAE primariae Matronae, ingenio, et virtutibus insigni.*

(e) *Huc pertinet Soror Fratre digna ELISABETHA ZAGURIA, proxime Patavii in Monasterio Misericordiae MARIA MATHILDIS, virgo innocentissima, et sanctissima.*

ELOGIO FUNEBRE

DI MONSIGNOR

MARCO ZAGURI

VESCOVO DI VICENZA

DETTO NELL' ORIGINALE LATINO

IL DÌ 16 SETTEMBRE 1810

NELLA CHIESA CATTEDRALE DI VICENZA

DALL' AUTORE

ABATE CARLO BOLOGNA

PREFETTO DEGLI STUDJ NEL SEMINARIO VICENTINO

E DA UN AMICO DELLO STESSO

TRADOTTO IN ITALIANO

VICENZA

TIPOGRAFIA PARONI

ELOGIO

La presente gravissima calamità, che coll' avvenimento più amaro trasse improvvisamente noi tutti nell' afflizione da niuno poco prima temuta, anzi immaginata nemmeno, dessa è appunto, o Signori, che nella universale tristezza me, più che ogn' altro, oppresso e quasi disanimato, a sostenere costringe la presenza vostra, e l' aspetto tristissimo di questa luce. Io dunque ignaro affatto dell' estremo e più che certo imminente pericolo, ed a cui, perchè lontano, più tardi che d' uopo non era n' è giunta la fama, io confuso pel dolore, e come da repentino tumulto riscosso, nel silenzio vostro, e cogli sguardi vostri ver me rivolti a tesser verrò funebre lode all' estinto e in questo Tempio giacente Vescovo di Vicenza MARCO ZAGURI? Io dunque, incaricato di sì importante e grave uffizio, seguirò io il corso, e parlerò con onore delle di lui virtù, delle quali dagli Oratori più eloquenti potrebbesi appena parlare con dignità? Di quelle virtù, il cui fulgore sorprese e com-

mosse prima ancora, che mostrato si fosse Egli a questa Chiesa? Di quelle virtù delle quali voi stessi per ventiquattro e più anni con grande ammirazione, e con sentimento pietoso foste i testimonj? Di quelle virtù in fine, che portate sull' ale della fama, e dai parlari degli uomini fatte illustri e palesi risplendono eziandio in estranee contrade? Niente pertanto io vi dirò, che presente non sia agli occhi vostri, e fitto voi non abbiate nel cuore: sebbene molte cose sfuggiranno all' animo mio perturbato, cui non accordasi tempo bastante a pensare; molte altre verranno da me, in tanta copia e varietà, a bello studio lasciate; e non poche (temo assai) saranno da me sminuite ed oscurate col dirle.

Ma già voi stessi, egregi Cittadini, lodaste voi abbastanza il grande ed ottimo Prelato, quando pochi giorni fa, alla prima voce della crudele mortal malattìa, dal timore compresi e trepidanti con incredibile mestizia di tutti gli ordini e nello squallore dell' intera Città, intimate pubbliche preci, i sacri templj dei vostri voti faceste, e delle fervorose vostre suppliche risuonare. E voi stessi anche in oggi grandemente il lodate dolendovi con tanto trasporto della sua morte, e con sì inusitata memorabile frequenza accompagnando i suoi funerali. Sì voi

stessi colla tristezza del volto, col portamento, collo squallor delle vesti, colle querele, e con tanta dimostrazione di desiderio e di affanno per sì fatta guisa il lodate, che giustamente può dirsi, tanti aver lui lodatori, quanti son Cittadini nella Città. Queste cose tutte magnificentissime per verità, e sommamente onorevoli alla sua sepoltura, accompagnate altresì dallo stesso pomposo militare apparato, e dalla presenza maestosa di tanti Magistrati, siccome manifestano quanto grande egli sia stato, e per verissima testimonianza del giudizio vostro quanto a voi caro: così grandemente mi turbano e mi spaventano; ben conoscendo, come a dritta ragione dobbiate da me ricercar qualche cosa, che nè della grandezza del soggetto, nè dell' opinion vostra sia indegna. Che farò mai perciò, ed a qual parte dovrò rivolgermi, onde compiere in qualche modo quest' ultimo pietoso uffizio verso un Uomo sempre da me venerato? Dirò tutto quello, che in questo momento la forza della verità mi farà uscir dalle labbra, tutto quello che versar può il mio dolore: e loderò lui morto, quando non ho osato mai lodarlo vivente; perchè egli abborriva sempre le proprie lodi quantunque d' ogni lode degnissimo, e seguirò così il detto di Platone, che allora conviene colmare di

elogi coloro che fecero grandi cose, quando esciti sono di vita.

Favoritemi di benigna accoglienza, Voi AMPLISSIMO CAVALIERE (*a*) che con singolare giustizia e sapienza, ed infra ai comuni plausi reggete questa Città e Provincia. Voi pure favoritemi e sostenetemi ILLUSTRISSIMI E REVERENDISSIMI PADRI nell' atto che lagrime piuttosto che funerei onori io rendo a Quello, che voi riveriste cotanto, e da cui voi medesimi, a lui così prossimi nello splendore della dignità, foste tanto onorati. Perciocchè se in Voi, e nell' ORNATISSIMO CAVALIERE tanto amante della Patria Preside ed Amministratore di questo Municipio (*b*), e in questi Personaggi illustri per gloria Civile, o Militare avrò il soccorso che imploro, rinascerà in me la fiducia di poter in qualche modo respirare in mezzo alla perturbazione, ed alla trepidanza in cui trovomi alla vista del grande sperimento.

A fare l' Elogio di MARCO ZAGURI, niente io dirò de' suoi Maggiori, niente della nobiltà della nascita e del lignaggio, niente dei sommi pregj della Famiglia, di cui egli non abbisogna, chiaro essendo abbastanza per i suoi proprj. Niente pure dirò dei giudizj vantaggiosissimi che si fa-

